

MISCELLEN

Aristoph. Ach. 23 sq.

Apud Ar. Ach. 23 sq. praebent codices editores omnes haec:
 οὐδ' οἱ πρυτάνεις ἤκουσιν, ἀλλ' ἄωριαν
 ἤκοντες εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς
 ἐλθόντες κτλ.

Conclamatus est locus et fere desperatus; cf. Meineke Vindic. Arist. 1865, p. 1; O. Bachmann Coniecturarum Ar. spec., Götting. 1878 (ἐλθόντες, εἶθ' οἷδ'... ἔκοντες); B. Schmidt Rhein. Mus. XXXIV. 1879 p. 107 sq. (ἄωριοι — ἄπαντες); Blaydes Spicilegium Arist. 1902 p. 1; 126 (ἤξουσιν). Optime autem omnium de hoc loco egit Haupt op. III p. 543 = Herm. V p. 319. Qui rectissime statuit, inde ab εἶτα δὲ omnia bene procedere, et ante δὲ verbum finitum utique requiri. Quod inde quoque intellegitur quod ἤκοντες participium ineptissimum sine dubio ortum est ex ἤκουσιν (v. 23) et ἐλθόντες (v. 25). Quam maxime autem offendit repetitio vocabulorum ἤκουσιν ἤκοντες ἐλθόντες alienissima ab ingenio eius poetae, quo maiorem haud scio an Graecia non tulerit, quique quasi princeps augustus dominabatur in linguae Graecae regno amplissimo. Neque igitur quisquam Hauptium secutus est, qui pro ἤκοντες voluit ἤξουσιν satis sane languidum.

Fortasse autem ita poterimus rem instituere, ut ipse lector inveniatur quid scribendum sit, verbum scilicet finitum quod requiramus. Iam nobiscum reputemus argumentum fabulae: Multo mane Dicaeopolin videmus in foro sedentem conqueri civium languorem et negligentiam, qui tardi morentur in contionem coire:

οὔσης κυρίας ἐκκλησίας
 ἐωθινῆς ἔρημος ἢ πνύξ αὐτῆι·
 οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσιν.

Et pergunt: 'Ne prytanes quidem adsunt, sed officii negligentes intempestive —' iam quid faciunt prima luce, quo suum munus praestare prohibentur? Idem illud, quod apud omnium populorum poetas comicos magistratus, qui officio suo desunt, illa diei hora facere assolent: εὔδουσιν. Habes opinor coniecturam quae ut digna videtur facilitate poetae praeclarissimi ita omnes uno momento tollit difficultates. Ita igitur locus edendus:

οἱ δ' (scil. cives) ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω
 τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον.
 οὐδ' οἱ πρυτάνεις ἤκουσιν, ἀλλ' ἄωριαν
 εὔδουσιν. εἶτα δ' ὠστιοῦνται (scil. cives) πῶς δοκεῖς
 ἐλθόντες κτλ.

Iam cum medicinam huic loco tulisse nobis videamur, postea anquiramus, sintne fortasse, quae coniecturae nostrae faveant. Rogandus autem mihi est lector benevolus, ut iterum legat quae de argumento Acharnensium commemoravimus, nisi ut pro 'Dicaeopolin' legat 'Lysistratam': habebit exordium Lysistratae. Nusquam gentium duae inveniuntur fabulae initio inter se similiores. Iam vero quae leguntur Lys. v. 13?

εἰρημένον δ' αὐταῖς ἀπαντᾶν ἐνθάδε
 βουλευσομένοισιν οὐ περὶ φαύλου πράγματος
 εὐδουσι κοῦχ ἤκουσιν.

Quid? Plana res est opinor et manifesta. Neve quicquam omittam eorum, quae ad rem pertinent: habes Eccl. 739 sq.:

σὺ δὲ δεῦρ' ἢ κιθαρωδὸς ἔξιθι
 πολλάκις ἀναστήσασά μ' εἰς ἐκκλησίαν
 ἄωρι νύκτωρ διὰ τὸν ὄρθριον νόμον.

Unde denuo intellegitur, quam usitata talia fuerint Aristophani.

Leipzig.

R. J. Theodor Wagner.

Ad novissimam Alciiphronis editionem

Accepta nuperrime a Schepersio recensione Alciiphronis epistularum, quam locupletissimam curavit apud Teubnerum, hoc rhetoris opus denuo intenta mente relegi, unde factum est ut de locis nonnullis me iudice hucusque laborantibus corrigendis natae mihi sint suspiciones, quas nunc additurus sum iis quas in Mnemosynes vol. XXX (a. 1902) agens de Schepersii proecdosi apud Woltersium cum eruditis communicavi, diligenter nunc ab editore in hac recensione significatas.

I 6 § 2. σὺ δὲ ῥάδιος ὦν τῷ ὀφθαλμῷ καὶ πρὸς πᾶσαν ἡδονὴν ἀφροδίσιον κεχυμένος, ἀτιμάσας ἐμὲ καὶ τὰ κοινὰ παιδία — ἐρᾶς τῆς Ἑρμιονίδος μετοίκου, κτέ.

Pro inepto ῥάδιος, multa aptiora se offerunt, velut ἰταμός, ἀναιδής, τακερός, sed certi nihil.

I 10 § 4. ἀναμείναντες οὖν ἀποληῆσαι τὸ κλυδώνιον καὶ καθαρὰν αἰθρίαν γενέσθαι, περινοστήσομεν κτέ. Vetus et probatus scriptor, quia αἰθρία est *purum et innubile coelum*, καθαρὰν omisisset, sed Alciiphronis, non glossatoris, esse eam vocem fidei facit I 1 § 3, ubi minus sane inepte legitur τῷ καθαρῷ τῆς αἰθρίας.

I 12 § 1. Μέμηνας, ὦ θυγάτριον, καὶ ἀληθῶς ἐξέεστης.

Malim ἐξέεστη(κα)ς, *insanis*, quod melius coit cum μέμηνας.

I 17 § 2. σοῦ δὲ ἐξ ἐκείνου μήτε ἀκέσασθαι μήτε ἀνέλεσθαι (sc. τὸ δίκτυον) βουλευθέντος μείναι (sc. ἔφασαν), μηδενὸς τῶν ἑνοικούντων ὡς ἀλλοτρίου θιγγάνειν ἐπιχειρήσαντος. Vix sufficere videtur nudum μείναι, sed iure expectatur <ἐκεῖ> μείναι, scil. ἐπὶ τῆς ἡόνος τῆς ἐν Σουνίῳ (§ 1 init.).